



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

5. Aliæ quædam quæstiones de Regibus diluuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

alia non sint, quæ naturalis iuris esse dicuntur, morte Christi sublatæ sunt & extinctæ; & proinde nisi renouentur, ac reuiuifcant, vim habent nullam. Tale est præceptum veteris legis illud paulo ante allatum: *In ore duorum, vel trium testium, &c.*

Item quamuis morale præceptum esse dicamus, vt quisque liberam facultatem habeat donandi, testandi, alienandique res suas, & contractus inuendi, qui iure gentium sunt introducti, nihilominus, ad fraudes, & lites innumeras è medio tollendas, possunt Principes legibus multa decernere, quæ tamen diuinæ aut naturali legi contraria non sint, neque libertati Ecclesiasticæ aduersentur, vt puta ne testamenta, donationes, alienationes bonorum, & contractus consistant, nisi hoc, vel illo modo facti. Quamuis etiam æquitate, vel lege naturali legitimam portionem bonorum, & alimenta filiis debeant parentes: tamen possunt Reges, & Principes, iustas ob causas legitimam bonorum portionem minuere, & alimenta denegare, cum filii aliunde habeant, vnde commode sustententur.

Octauo quaeritur, Vtrum Regibus ius aliquod esse possit in Clericos, vel eorum bona? *De hac questione dictum est supra par. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 12. quæst. 1. §. 2. & 3.*

Nono quaeritur, An Reges eo ipso, quod Reges sunt, fiat patroni omnium Ecclesiarum Cathedralium, quæ in ipsorum ditione, & Regno sunt: ita vt ius habeant nominandi, designandi, offerendi & præsentandi Clericos, qui ipsis Ecclesiis præficiantur? Hanc etiam questionem supra diluimus *par. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 14. vlt. quæst. v. bi sententiam Archidiacon. Baldi, Dominici, Cardin. Alexandrini explicuimus, iuxta verum & germanum sensum.*

C A P. V.

Aliæ quedam quaestiones de Regibus diluuntur.

Primo quaeritur, Quot, & qui sint Reges Christianorum? Respondeo: In libello, qui inscribitur, Prouinciale omnium Ecclesiarum Cathedralium, ex Cancellaria Apostolica excerptum, numerati Reges Christianorum sequentes, hoc ordine.

Rex Francorum. Hic dicitur cognomento Christianissimus: qui nunc est Henricus quartus, Borbonius.

Rex Legionis, & Castellæ. Hic est cognomento Catholicus: qui nunc in vniuersa Hispania dominatur, videlicet Philippus III.

Rex Angliæ. Hic Romani Pontificis concessu & auctoritate est Hybernæ Dominus: nunc Angliæ Regnum tenet Elisabetha Regina, hæretica prauitate, infecta, & infamis ob hæresim & schisma.

Rex Scotiæ. Huic etiam parent insulæ Hebrides, siue Euboniæ, & Orcades. Nunc regnat Iacobus eo nomine 6.

Rex Siciliae. Nunc Sicilia, & regnum Neapolitanum, in vnius regis Hispaniæ potestate sunt, qui est Philippus III.

Rex Aragoniæ. Nunc Aragonia cum regno Legionis, & Castellæ coniuncta est, quibus dominatur Philippus III.

Rex Hungariæ. Nunc Hungaria pertinet ad Rodolphum Secundum Imperatorem Romanorum: At eam Turcæ magna ex parte occuparunt.

Rex Portugalliæ. Nunc Castellæ & Portugalliæ vnus Rex Hispaniæ præest, Philippus III.

Rex Nauarræ. Nunc ea Nauarra, quæ est prouincia Vasconum in Hispania, & continet Vascones, Cantabros, & quasdam Castellæ gentes: in vnius regis ditione & Imperio est, scilicet Philippi III.

Rex Maioricarum. Nomine Maioricarum intelliguntur insulæ, quæ olim Baleares dicebantur, videlicet Maiorica, Ophiusa, & aliæ. Porro reges Aragoniæ Baleares insulas suæ ditioni & potestati subiecerunt; eas Saraceni oc-

cupauerant. Iacobus rex Aragoniæ eo nomine primus illas deuictis & expulsi Saracenis recuperavit. Mortuus donauit eas ab Aragoniæ regno diuisis filio suo Iacobo, nomine, iure, ac titulo regio, quas tenuerunt, vt reges Maioricarum prædictus Iacobus, & filius, ac nepotes eius, postea vero illas cum regno Aragoniæ coniunxerunt Aragonum reges. Et ita illæ insulæ nunc sunt Hispaniæ regi subiectæ, nimirum Philippo III.

Rex Armeniæ. Nunc vtraque Armenia, maior, & minor, in Turcarum potestatem redacta est.

Rex Cypri. Regnum Cypri connubiali fœdere ad Venetos peruenit, vt dicam inferius libr. 12.

Rex Sardinia. Sardinia vna cum Aragonia, Balearibus insulis, & vtraque Sicilia, Romani Pontificis auctoritate coniuncta, vt dicam inferius libr. 12. & postea, cum regno Legionis & Castellæ connexa ad reges Catholicos Ferdinandum eo nomine Quintum, & Elisabetham deuenit: Et ita nunc vni Hispaniæ regi paret, Philippo III.

Rex Daniæ. Dania prouincia est septentrionalis, in finibus Germaniæ.

Rex Gothiæ. Nunc Gothia Ducatus est, sub rege Sueniæ.

Rex Noruegiæ. Nunc Noruegia in Ducatum transiuit, & paret regi Suetiæ.

Rex Suetiæ. Suetia septentrionalis prouincia est, cuius regnum iure pertinet ad Sigismundum Catholicum regem, nunc in Polonia regnantem.

Rex Poloniæ. Hic nunc præest multis septentrionalibus prouinciis; Prussiæ, Russiæ, siue Rutheniæ, Lituaniæ, Mafouia, Samogithiæ, Liouoniæ, Podoliæ, Volymia, Podlassiæ, Pomeraniæ citeriori, & Ciuauiæ: & vtrique Poloniæ maiori & minori. Rex in Polonia nunc est Sigismundus, eo nomine 3.

Rex Bohemiæ. Nunc Bohemia Imperio adhæret, & ita paret Imperatori, Rodolpho II.

Secundo quaeritur, Quot, & qui Reges Christianorum sint feudatarij Ecclesiæ Romanæ? Respondeo, in eo, quem supra memorauimus libro, Prouinciali, scilicet Ecclesiarum, recenseri quinque, qui sunt, Rex Siciliae, & Rex Sardinia, Rex Aragoniæ, Rex Hungariæ, & Rex Ierosolymæ.

Sub regno Siciliae comprehenditur regnum Neapolitanum, in quo continentur prouinciæ Apulia, & Calabria, & aliæ quinque.

Regnum Hierosolymitanum dicitur illud, quod est Christianorum bello recuperatum anno salutis 1099. expulsi Saracenis: quod deinde regnum Christiani amiserunt.

Constat ex historiis, multa Christianorum regna fuisse superioribus temporibus Ecclesiæ Romanæ vectigalia. Ioannes Angliæ Rex, Philippi regis Gallia vires & potentiam veritus, ad Innocentium III. Pontificis patrocinium confugit, Angliam & Hyberniam Romanæ Ecclesiæ feudatarias, hoc est, vectigales fecit: centum auri marchas quotannis pro vtraque prouincia se soluturum promisit: quod postea aliquamdiu seruatum est. *Blondus Decade 2. lib. 6. Platina in vita Innocentii III. Sabell. Eneade 9. libro 5. Aeneas Sylvius in Epitome Blondi libro 6. acif. 2. Polydorus libro 15. de rebus Angli. ait se tantum, non item successores Ioannem illum Angliæ regem, ad hoc tributum soluendum obligasse.*

Inas rex occidentalium Saxonum in Anglia, bello, & pace clarissimus: studio & pietate in Romanam Ecclesiam memorabilis, totum suum regnum longe ante Ioannem eiusdem Angliæ regem, Romano Pontifici sponte sua vectigale fecerat, de singulis domibus singulos argenteos quotannis Romanæ Ecclesiæ solui constituit: qui denarii sancti Petri vulgo dicebantur, & soluti sunt per annos plusquam octingentos. *Polydorus libr. 4. Historia Anglica.*

Edelphus Angliæ rex Romam veniens sub Leone IV. Pontifice Inæ regis institutum secutus, eam Britannia

Insulæ

Infula partem, quam Egbertus pater ad regnum Angliæ adiunxerat, Romanæ Ecclesiæ tributariam reddidit: legemque tulit, ut singuli pro singulis domibus Romano Pontifici quotannis singulos denarios argenteos ad diem festum Apostolorum Petri & Pauli, vel summum, ad diem sacrum vinculis Petri persoluerent. *Idem Polydo. lib. 5.*

Petrus Aragoniæ rex Romam venit ad Innocentium Tertium, à quo splendido apparatu exceptus est: & in æde S. Pancratii anno salut. humanæ 1204. die 21. Nouembris à Petro Episcopo Portuensi inunctus, & Pontificis manu coronatus infulas, & cætera Regni insignia solemnè cæremonia accepit: & datum est Aragoniis regibus, ut deinceps in prouincia coronam accipiendi ius esset: & ut eam acciperent à Tarroconensi præfule, tamquam Roman. Pontificis Vicario: extant de re tota publicæ tabulæ. Pro eo merito rex Aragoniam Romanis Pontificibus veltigalem esse constituit, certum auri pondus quotannis pendere pollicitus.

Libro quarto *registri cap. 28.* extat Epistola Greg. VII. ad Reges, Comites, cæterosque Principes Hispaniæ, in qua scribit, antiquis temporibus Hispaniam Rom. Ecclesiæ veltigalem fuisse, priusquam à Mauris esset euerfa.

Boleslaus Poloniæ rex eo nomine II. Stanislaus Craconiensem Episcopum occidit anno Domini 1179. Gregorius VII. rei atrocitate permotus, toti Poloniæ sacris interdixit, Boleslaum diris execrationibus deuouit, regnumque ipsi solemnè ritu abrogauit. Edixit quoque, ne in posterum Episcopi regem aliquem in iussu suo vngerent, & coronarent. Ex eo tempore Principes dicebantur, non reges, qui in Polonia dominabantur. Interregnum hoc durauit annis 215. donec ann. salut. 1295. Przemislaus electus Gnesiæ vetusto more reuocato inunctus est, & coronatus ab Archiepiscopo Iacobo Suinca, & Rex, non Princeps vocari cæpit. Postea vero Episcopi communicato cum Wladislao rege cognomento Loctico, consilio, Gerardum Wladislaiensem Episcopum ad Ioannem eius nominis XXII. Pontificem maximum miserunt, ut vniuersæ Poloniæ nomine, Crucigeris Theonicis litem intenderet, & simul etiam Wladislao diadema, & regium nomen impetraret. Existimabant enim inauspicato id sibi præmissum iniussu Pontificis assumpsisse, quod non ignoraret interdictionem fuisse eo decoro, nomini Polono post eadem S. Stanilai. Gerardus Episcopus id quod postulabatur, à Romano Pontifice impetravit. *Hæc omnia Cræmerus partim libro 4. partim lib. II. de rebus Polonorum.* Literas Ioannes XXII. Gerardo dedit ad Wladislau regem, & ad Principes Poloniæ: in quibus Wladislao diadema, & nomen regium concessit. At in literis inter alia Pontifex sic ait: *Nobis cum instantia supplicasti, ut regnum Polonia esset nobis, & Ecclesia Romana nullo mediante subiectum, & in signum subiectionis huius consensus, qui B. Petri vocatur, nobis, & eidem Ecclesiæ deberetur, aperientia viscerum, & reliqua quæ ibi sequuntur.*

Stephanus Hungariæ rex, & in sanctorum numerum relatus, Astricum Colocensem Episcopum legatum Romanam, ad Benedictum VII. Romanum Pontificem Maximum misit, qui ab eo peteret diadema, & nomen, ac titulum regium. Pontifici Angelus à Deo missus apparuit, præcipiens ei, ut diadema, nomen, & titulum regium Stephano daret; & ita Pontifex diadema ad Steph. misit, & constituit, ut ab Archiepiscopo inunctus, eo diademate coronaretur. Stephanus diadema, & regnum, tanquam à Romano Pontifice, & à B. Petro donatum accepit. *Charvritius Episcopus in vita eiusdem Stephani regis, apud Surium Tomo 4. die 20. Augusti, & Gregor. VII. lib. 7. Registri epist. 13. Indictio. 13.* Scribit, regnum Hungariæ ad ius & diuionem Romanæ Ecclesiæ pertinuisse.

Portugalliæ rex, Alphonsus I. hoc nomine, B. Petro regnum obtulit: nam cum antea Dux esset, Regium diadema, nomen & titulum auctoritate Alexandri III. accepit: & tanti beneficii memor promisit se soluturum Ecclesiæ Romanæ quotannis duo auri pondera.

Regnum Russiæ acceperunt reges eius prouinciæ à Romanis Pontificibus: *ut scribit Gregor. VII. l. epist. 74. Registri, lib. 2. Indictio. 13.*

Tertio quaeritur, Quinam reges sacro oleo inungantur, & à quo, & in qua parte corporis? Albericus in subrica de Statu hominum respondit, quatuor reges vngi, recepta scilicet consuetudine: regem Franciæ, regem Angliæ, regem Hierosolymæ, & regem Siciliæ. Hostiensis in *summa, titul. de Sacra vntione* docet, recepta ab antiquo tempore consuetudine tres tantum reges sacro oleo perfundi: videlicet, regem Alemaniarum, electum in regem Romanorum, regem Franciæ, & regem Angliæ: *Si quis vero rex inungi noua consuetudine velit, vsu & mos obtinuit, ut id à Romano Pontifice petat, & impetret: sicut fecit rex Aragonum, & quotidie rex Scotia petit instanter.* Hæc ille. Archiepiscopus in *cap. Quoniam, distin. 10.* solum ait reges vngi solitos. Quidam aiunt, reges nunc quamuis non omnes vngantur, posse iure tamen vngi: quia in *cap. 1. de sacra vntio.* habetur, reges oleo facto inungi. Reuera talis regum Christianorum vntio, exemplum habuit in regibus Iudæorum, qui sacro oleo deliniri consueuerant. Sed in quam parte corporis Reges vnguntur? Respondeo, non in capite, ut Pontifices, sed in brachio, humero, vel armo. *cap. 1. de sacra vntio.* quia Reges vnguntur ad pugandum, Pontifices vero, ut præfuit Ecclesiis.

Primus Francorum rex, Christianus videlicet Clodoueus, est sacro oleo perunctus Remis à B. Remigio Archiepiscopo. *Gregorius Turonensis de Historia Franco. lib. 2. cap. 29. Hincmarus in vita sancti Remigii:* quo ex tempore deinde reges Franciæ vngi consueuerunt. Reges Hispaniæ antequam ea prouincia in Saracenorum potestatem deueniret, nonnullos legimus fuisse sacro oleo inunctos; & ita Rex Wamba inunctus fuisse dicitur in æde SS. Petri & Pauli, quæ erat prætorio vicina, à Quirico presbytero Toletano, qui Ildephonso successerat: ante eum nullus est inunctus. *ut ait Morales in Chronico generali de rebus Hispaniæ, lib. 12. cap. 41.* Legimus etiam nonnullos alios, videlicet Eruigium, Egicam, Witizam, qui post Wambam in regno Hispaniæ successerunt, sacro oleo, & cæremonia tunc vsitata perunctos fuisse. At Reges, qui recuperata, & erepta Saracenis Hispaniæ successione hereditaria, non electione & suffragio regnarunt, inungi non consueuerunt, quamuis aliqui sacro oleo perfusi dicantur.

Hungariæ etiam Reges sacro oleo perungi solitos, historici, qui de rebus Hungaricis scripserunt, testantur. Stephanus Rex, qui secundus baptisma suscepit, in Alba vrbe templum extruxit, quod est B. Mariæ Dei genitrici dicatum: & constituit, ut in eo Reges & Archiepiscopi vngerentur, & coronarentur. Rex postea Alemanniæ inungitur ab Archiepiscopo. Coloniensis: Rex Franciæ ab Archiepiscopo Remensi: Rex Angliæ ab Archiepiscopo Cantuariensi.

Quarto quaeritur, An reges Christianorum sint ab Imperatoris legibus & iussis: potestate & iurisdictione immunes & liberi? Imprimis Regem Franciæ non esse Imperatori subiectum, colligitur ex *cap. Per venerabilem, qui filii sint legis.* Idemque tradunt Innocentius, Hostiensis, Abbas, Felinus in *cap. Nomin. de iudiciis, Speculator in tit. de Appellatio. §. Nunc tractemus, in l. Hostes, ff. de Captiuis & postliminio reuersis.* Bald. in *cap. 1. de Pactis eius firm.*

Regem Hispaniæ ab Imperatoris potestate esse solum & liberum, dicit Glossa in *cap. Adrianus II. in verbo. Per singula, distinctio. 43. in cap. Esi necesse, ad finem, de Donat. inter virum & uxorem.* Oldradus *consil. 69.* Baldus in *l. Ex hoc iure, ff. de iustitia & iure. Abbas in c. Per venerabilem, de elect. Iason in l. Id quod apud hostes, ff. de Legatis 1. teste Ioanne Maria lib. 9. de rebus Hispaniæ, c. 5. Victor II. S. Petri Cathedralam tenente, in Hispaniam venerunt Legati missi ab eo Pontifice, qui Ferdinando, Hispaniæ regi, & proceribus nuntiarunt, ipsum Regem Ferdinandum contra leges & iura facere, qui se Imperii Romani iure & potestate esse*

exemptum dicitur, & Imperatoris nomen sibi sumeret. Nam Concilium eodem Victore II. in vrbe Turonensi Gallie celebrante, Henricus Imperator Legatos miserat ad Patres, apud quos conquereretur Imperator, quod Ferdinandus Rex Hispanie id dicere & facere ausus fuisset. *Quam*, inquit Imperator, *iniuriam ego libenter ferrem, si nullam, preterquam dignitatis nostrae iacturam fieri viderem, sed in consilio capiendo Patres, omnem terrarum orbem, quam late Imperium Christianorum patet: respicite, cuius incoluntas stare non potest, nisi sit vnus, cuius auctoritatem cuncti respiciant, cuius imperio deuicti sint, cuius obtemperant voluntati. Respicite sacrosanctam Romanorum Pontificum maiestatem, cuius auctoritati plurimum derogabitur, nisi Imperatorum quos ea de causa in vrbe Christiano proximum potestatis locum obtinere voluerunt, armis, & potentia inuaniatur. Nascentem temeritatem in ipsis incunabulis comprimite, ne primum exemplum silentio nostro, & dissimulatione vestra ad alios promanet, & ceteris omnibus prouinciis ad dulcem, & saepe fallacem libertatem nomen excidat. Imperii, & Pontificatus sacrosanctam maiestatem ad inanem appellationem, & titulum deducatur: Et ratione ad patribus audita, & re deliberata, Victor dixit. Henricum Imperatorem rem quam & iustam postulare: quare missi legati ad Ferdinandum sunt, qui eam monerent verbis Pontificis & Patrum, vt Imperatori deinceps satisfaceret, & Imperatoris nomine abstineret, quod sibi nullo iure vendicauerat: dita omnia, nisi continuo pareret, comminarentur. Rex turbatus est, & ideo de re tota cum proceribus Hispanie consultare cepit. Alii obtemperandum esse iudicabant, ne Pontifici reluctari viderentur, ne bello Hispaniam implicarent. Alii grauissimum Hispanie iugum imponi dicebant, si morem gererent. Valuit eorum sententia qui dicebant, immunitatem ac liberam Hispaniam esse ab Imperatoris iure & potestate, quam Maiores sui sanguine proprio recuperauerant, Saracenis Christiani nominis hostibus bello victis, & ex Hispania pulsis. Vnde legatio est ad Pontificem missa, & obsecratum est, vt re diligentius excussa mitteret, qui in re praesenti de Imperii iure disceptaret; Et à Pontifice est impetratum, vt Rupertus S. Sabinae Cardinalis, cum amplissimis mandatis, & Imperatoris Legatis controuersam dirimendam causam, in Hispaniam veniret. Agitata causa, & tota lite discussa, pro libertate Hispanie pronuntiatum est, & decretum, Romanis Imperatoribus nullum deinceps ius in Hispania Reges fore.*

Poloniae Rex, immunitas etiam & liber est à iure Imperatorio. Nam Otho III. eo nomine Imperator, Boleslaum Regem appellauit, socium, & amicum Romani Imperii, ei diadema imposuit, & honorem regium voluit, vt ipse, & postea deinceps haberent, eum denique, & posteros à tributo, & omni iurisdictione Imperatorem solutos esse constituit. *Cramerus in Historia, de rebus Polonorum lib. 3.*

Regem Angliae sub Imperatoris potestate non esse, testatur Bartolus in l. *Hofes, ff. de Capitulis & postlimi. reuersis, Castaldus lib. de Imperatore questione 53. nu. 14.* & idem iuris habere puto Regem Scotiae.

Regem Neapolis & Siciliae, & Sardiniae, Imperatori subiectum non esse, inde constat, quod huiusmodi regna sunt in Ecclesiae Romanae patrimonio, & summo Pontifici iure feudi conferuntur.

Hungariae regnum olim liberum fuit ab Imperii iure & potestate, quia regibus Hungariae à Romano Pontifice non ab Imperatore, Regium nomen & diadema datum est. Nam eo tempore, quo Rex Poloniae Boleslaus I. Romanam misit ad Benedictum Septimum, Lambertum Craconiensem praesulem, vt Regium diadema sibi mitteret, & Reges Polonorum se & posteros suos esse iuberet, misit quoque Stephanus Hungariae Princeps ad eundem Pontificem Legatos, qui eandem rem peterent: quam à Pontifice consecutus est, & ex eo tempore Hungariae regnum Romanae Ecclesiae subiectum esse pethibetur: quomuis Hungari testentur, diadema regium Stephanum Principem ab Angelis, non à Romano Pontifice accepisse.

Quarto quaeritur, An Rex in suo regno supremum ius & potestatem habeat, quam scilicet habet Imperator in Imperio Romano? Respondeo, eum habere, si ab omni feudo regnum sit immune ac liberum: vnde Regi referuntur in suo regno, quae supra diximus esse Imperatori reseruata: quate create potest Duces, Marchiones, Comes, & dare ceteros honorum, & dignitatum titulos.

Sexto quaeritur, An reges Christiani, qui in iis, quae ciuilia sunt, nullum superiorem agnoscent, & habent, sint Romano Pontifici in eisdem ciuilibus & temporalibus subiecti? Magna fuit tempore Philippi Pulchri Gallorum Regis, & Bonifacii Septimi, Romani Pontificis de hac controuersia. Nam Bonifacius Hierosolymitanam expeditionem parans, Ariminensem Episcopum ad Philippum Pulchrum regem Francorum misit, qui illum ad eam rem cohortaretur. Is eo profectus, cum precibus nihil obtinere potuisset, minas addidit. Sed Rex vehementer iratus, cum subito in carcerem coniecit: ex quo Rex in magnam Romani Pontificis indignationem incurrit. Quamobrem Bonifacius cepit agere contra Philippum tanquam contra inimicum Ecclesiae, & ideo omnes Francorum Episcopos ad celebrandum Romae Concilium conuocauit: Sed Rex vos ab accessu ad urbem prohibuit. Vnde Bonifacius multo magis iratus Archidiaconum Narbonensem destinauit, qui Regi nunciaret, vt agnosceret se Franciae regnum à Sede Apostolica habere; insuper & Romanorum Pontificem in his etiam, quae ciuilia & temporalia sunt, agnosceret superiorem: Alioquin ipsum Regem diris execrationibus deuoueret, & toti Franciae sacris interdiceret. Archidiacono Parisios profecto, Rex nequaquam permisit literas Pontificias denuntiare: imo aulici, & familiares Regis, literas Archidiacono ablatas, eum Parisiis, & toto Regno Franciae expulerunt, & Comes Arthenis literas eiusmodi in ignem proiecit prohibetur. Inde Rex iussit vias custodiri, ne cui ad regnum Franciae parere posset ingressus. Quae vehementer commotus Bonifacius Regem à priorum coetu submouit, & declarauit, Regem esse regno priuatum, & regnum ipsum ad Romanum Pontificem deuolutum: Rex Parisiis Episcoporum, & Principum conuentum cogit, ubi se ab omni peccato purgandum curauit: à sententia Pontificis appellauit, dixit se, quia Rex esset Franciae, nullum superiorem in ciuilibus & temporalibus habere, Regnum Franciae in his à Romano Pontifice non existere, vel pendere. Orta igitur discussione magna, Bonifacius execrationes in Regem iterauit, & Regem sepius admonuit, vt à Regalibus priuilegiis, quae Francorum Reges à Sede Apostolica acceperant, abstineret, sese regno abdicaret, Episcopos, proceres & ceteros à iureiurando, quo erant Regi obligati, absoluit: iussit eos Romam venire: & tandem regnum Philippo per sententiam abrogatum; Alberto Imperatori subiecit. Extat Constitutio, cuius initium est: *Vnam sanctam, ab eodem Bonifacio edita, inter Extrauagantes communes, de maioriute, & obedientia, in qua declarat omnes Christi fideles cultores Romano Pontifici subesse, & hoc ad necessitatem salutis pertinere, & penes Romanum Pontificem vtrumque gladium esse, hoc est, spirituale, & temporalem potestatem, & eius esse, & auctoritatem iudicandi omnes.*

At inter Extrauagantes communes, de Priuilegiis extat alia Constitutio, quam dedit post Bonifacium Clemens V. qua incipit: *Meruit*: in qua Pontifex declarauit, Regem Franciae, & Regem nicolas per Extrauagantem Bonifacii Septimi, qua incipit: *Vnam sanctam, de maioris, & obed.* non subiecti Romanae Ecclesiae maiori iure, quàm antea subiciebantur: Sed omnia, inquit Pontifex, intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem praesentem, tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam quantum ad Regem, Regnum, & Recognoscit Franciam.

Quaestio itaque praesens non est, An Reges in his quae sacra & spiritualia sunt, Romano Pontifici subiectantur? Conuenit enim inter omnes Catholicos, in his Re-

ges esse subiectos tanquam capiti, & summo Christi Vicario. Tota difficultas in eo versatur, An in his, quæ civilia siue profana sunt, & temporalia, sint quoque subiecti? Et dicendum est id quod habet Innocentius III. in cap. *Per venerabilem*, §. *Rationibus*. *Qui filii sunt legit*. vbi Pontifex sic ait: *Non solum in Ecclesie patrimonio, verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus*. Iuxta quam sententiam communi consensu iuris Canonici Interpretes in capitul. *Novit de iudiciis* docent, Romanum Pontificem in omnes Reges, Principes, & cæteros Christi cultores temporalem potestatem habere, iure quidem, & habitu: sed vsu & functione non item; nisi in locis, & terris, quæ ad Romanam Ecclesiam patrimonium pertinent: & in cæteris locis & terris habere certis in causis, videlicet vacante Imperio, siue cum nullus est Rex, vel Princeps, & cum res ad communem salutem, & bonum reipublicæ Christianæ pertinet: vt dixi superius, cum de Imperatore gererem, & cum de potestate Romani Pontificis disputavi.

Nec obstat, si quis obieciat, Regiam potestatem in ciuilibus, & temporalibus esse supremam, & reges nullum in his agnoscere & habere superiorem: & regna esse à Deo, non à Romano Pontifice. Ad Rom. 13. ait Apostolus. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo*: & Proterb. 8. *Per me*, inquit diuina sapientia, reges regnant, & legum conditores iustia decernunt: & beatus Petrus Apostolus monet, vt subiecti simus omni humana creatura propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis. Et Authen. de instrum. caus. *Et fide, collat. 6.* & Authent. *Quomodo oporteat Episcopos*, habetur, Imperium, & Pontificatum esse à Deo. His enim omnibus, & similibus respondeo, esse quidem supremam iis in rebus regiam potestatem, non quia iure & habitu ea non sit Romano Pontifici subiecta, sed quia vsu & actu nulli alteri subicitur, præterquam Romano Pontifici in certis causis ac euentis. Deinde, reges, siue regna sunt à Deo, non quidem proxime, sed per electionem populorum, vel successiorem hereditariam legibus & moribus comprobantur. Nihil etiam obstat Clementis V. prædicta Constitutio, quæ incipit: *Moruit*. nam in ea solum dicitur, regem Franciæ, & eius regnum per Constitutionem Bonifacii VIII. cuius initium est: *Vnam sanctam*, non magis subiecti Romano Pontifici, quam ante subiciebatur: quoniam reges, & regna Christianorum Romano Pontifici iure & habitu, & certis in causis vsu etiam & actu subiecta sunt, & fuerunt eo ipso, quod Romanus Pontifex est Petri successor, & summus in terris Christi Vicarius. Quare non est quod quisquam cum Platina, Blondo, & Gaguiuo, & aliis scriptoribus dicat, immerito Bonifacium Pontificem rem totam aduersus Philippum regem Francorum exaggerasse, & sic se habuisse, ac si Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, & populis dominaretur, & ac si dare regna, & Imperia, & auferre pro suo arbitrio posset. Neque enim Bonifacius dixit se pro suo nutu & arbitrio posse regna dare, & auferre, sed certis ex causis posse Regibus regna abrogare, & aliis concedere.

Septimo queritur, An inter reges Christianorum sit ordo, ita vt alii aliis antecedere debeant? Cassianus in *Catalogo gloria mundi, considerat. 31.* docet, regem Francorum tanquam omnium primum, vniuersis regibus debere præcedere: quod probat testimonio Alberti in *rubri. de statu hominum*, Antonii Corseti, de *excellenti Regia, quest. 21.* Et 22. Boetii in *tract. de Antiquitate*. Et præ eminentia sacri Magni Consilii. probat idem ex nomine, quia dicitur rex Christianissimus, quasi sit Christianorum regum præcipuus: Et quia Romæ in curia Pontificia Orator regis Francorum, antecedit Oratoribus cæterorum regum. Reuera ordo inter reges Christianos, aut esse potest ex ordine, & antiquitate temporis, quo ipsi reges, & ipsorum regna publico edicto Christi fidem & religionem susceperunt. Aut ex priuilegio & concessu Romanorum Pontificum, qui huic vel illi Regi primum locum honoris con-

cedere voluerunt propter multa, & magna in Romanam Ecclesiam huius vel illius Regis beneficia & merita: Vel denique ex regnorum amplitudine, & potentia. Si ordo ex antiquitate temporis existit, ac pendet, non est dubium quin rex Francorum sit omnium primus. nam vt testatur Gregorius Turonensis, de *rebus gestis Francorum lib. 2. cap. 29.* & Hincmarus in *vita S. Remigii*, circa annum salutis humanæ quingentesimum, rex Clodouicus à Remigio Remensi præfule fidem, & religionem Christianam edoctus, sacrum baptismum suscepit. Et quamuis reges Hispaniæ, qui Gothi erant origine, & eam occupauerant circa annum Domini CCCC. XIII. & plusquam centum annis ante ad sacrum lauacrum accesserant, videlicet anno Domini CCC. LXXXVI. sub Valente Imperatore, non tamen fide Catholica tunc imbuti sunt, sed hæresi & prauitate Ariana infecti; perstiterunt, donec Recaredus monitis & præceptis Leandri Hispalensis Antistitis, & Fulgentii Astigitani Præsulis, Ariana perfidia abdicata & abiecta, Catholicam religionem amplexus est, circa annum Domini quingentesimum octogesimalseptimum.

Cantianorum Anglorum rex Ethelbertus, opera Augustini & Mileti monachorum, quos Gregorius in Angliam miserat, Christianis sacris initiatus est, & salutari baptismate ablatus circa annum Domini sexcentessimum tertium, teste Polydoro lib. 4. *Historia Anglicana*.

Rex Poloniae Miesclaus, teste *Cramero lib. 3. de rebus gestis Polonorum*, Christianus factus est circa annum Domini nongentesimum, sexagesimum quintum.

Dux Hungariæ Geysa sacra Baptismatis vnda mundatus est, ad fidem Christi conuersus teste *Naudero Chronici parte 2. in Generat. 33.* circa annum nongentesimum septuagesimum quintum, vel vt aliis visum est, circa annum 990. quamuis Sigonius dicat, circa annum millesimum decimum id contigisse. Sed vt ait *Bonfini. decade 2. lib. 1. de reb. Vngariæ. Et Abrahamus in Chronolo. de rebus Vngariæ*. Geysa obiit anno salutis 997. ergo ante aliquot annos Christi fidem & religionem amplexus est. Geysa itaque, cum Gisellam Henrici Primi reges sororem, eximia specie virginem, coniugio impetrare non posset, nisi Christianis sacris imbueretur, vltro ad sacrum lauacrum accessit, & gentem suam pulcherrimi facti imitatione succendit. Eum sacro baptismate abluit Adalbertus Pragensis secundus Episcopus.

Rex primus Hierosolymis constitutus, cum Christiani Palaestinam, & Syriam Saracenis expulsi, recuperarunt, fuit Gottifredus Dux Lotharingiæ anno Domini millesimo nonagesimo: postquam sex circiter, aut septem alii reges ordine sibi inuicem succedente, donec Saraceni iterum Hierosolymam, Palaestinam, & Syriam receperunt.

Secundum est, in Britannia insula, quæ nunc Anglia & Scotia vocatur, Lucium regem Britannorum Christi fidem, & baptismum amplexum fuisse. hic enim, teste *Polydoro lib. 2. de Historia Anglicana post Bedam lib. 1. de Histor. Anglorum. Et Damasum in Pontificali, in vita Eleutherii*. Christianus factus est circa annum salutis humanæ centesimum octogesimalsecundum. Literas enim ille ad Eleutherium Pontificem Romanum misit, rogans eum, vt se, ac suos salutari fonte perfusus, ad Christianorum numerum adiungeret. Eleutherius eo misit Eugatium, & Damianum, viros singulari pietate præditos. hi Regem cum tota familia & populo vniuerso, baptismate abluerunt, omni idolorum cultu sublato. Erant tunc in Britannia Elamines octo & viginti, Archiflamines tres, in quorum locum totidem Episcopi, & tres Archiepiscopi postea subiecti sunt. Christianam fidem & religionem, Britannii in sua prouincia retinuerunt, donec ab Anglisaxonibus in Britanniam ingressis, prouincia, & regno expulsi sunt. Vade orta sub Diocletiano graui Christianorum persecutione, Albanus cum sociis in Britannia martyrium est passus: & Pelagiana hæresi insulam Britanniam peruadente, Britannii Episcopi Gallos Antistites per literas, & nuncios rogarunt, vt contra tam diram Pelagianorum pestem sibi

opem ferrent. Galli vero maturius facti Episcoporum conuento, Germanum Antisiodorensis, & Lupum Trecaffinum Episcopos, summa integritate, doctrina, & vitæ innocentia in Britanniam, ex Concilij sententia miserunt, ut insulanos homines in officio continerent. Illi traiecto statim Oceano, sanctitate vitæ, doctrina & mitibus facile quamplurimos ab hæresi & perfidia Pelagianorum reuocarunt, & ceteros in fide Catholica retinuerunt. Regnantibus Theodosio inuasiore, & Valenciano Imperatoribus, anno salutis humanæ quadragesimo quadragesimotertio, Britannia Scotis & Pictis finitimis populis graui bello petiti, ab Ætio Patricio, & Imperatorij exercitus in Gallia duce auxilium implorarunt, sed minime obtinuerunt, & proinde exulso Romanorum Imperio, postquam quingentis & tribus annis, Romanis ducibus paruerunt, à tempore quo à Iul. Cæsare subacti fuerant, suæ genti regnum restituere conati sunt. Vnde retum suarum summam Vertigerio Britanno detulerunt. Sed his irruentibus in eum magno impetu hostibus, videlicet Scotis & Pictis, viribus impar, Anglosaxones, feroces Germanæ populos, in auxilium vocauit. Qui statim Engisto & Orsa ducibus, magna cum suorum multitudine in insulam traicientes, Scotorum, Pictorumq; vim & impetum aliquandiu prohibuerunt: Sed mox Britannici regni potiundi desiderio moti, inito cum hostibus federe, in ipsos Britannos quos iuuare debebant, arma conuerterunt: quibus non destiterunt, donec pulsus in continentem Gallia Armoricam Britannis, vniuersam fere insulam in suam potestatem redegerunt. Quæ ab eis non multo post nomen cum imperio mutauit, ac pro Britannia, Anglia diei accepta est. Ingressi itaq; Anglosaxones in Britanniam, eam in septem regna diuiserunt: sed progressu temporis tota insula in vnum corpus coacta, cepit vni regi parere. Fuit annus quo Anglosaxones Engisto, & Orsa ducibus Britanniam occuparunt, teste Beda, à Christo nato, quadragesimimus quadragesimus nonus.

Primum ex septem regnis, in quæ totam eam insulam distribuerunt, fuit Cantuarorum regnum in Cantio ab Engisto inchoatum. In quo regno Ethelbertus primus rex Christianus factus est sub Gregorio I. Pontifice Romano anno sexcentesimo tertio: hic S. Paulo Apostolo Londini, & Andree Apostolo Reccetræ celeberrima templa condidit.

Secundum regnum fuit Australium Saxonum, quorum Principatus non diu permansit, & pauci in eo reguli fuerunt.

Tertium, Orientalium Anglorum, quorum Sigebertus primus Christianus Cantabrigie publicam academiam extraxit anno sal. sexcentesimo & octogesimo.

Quartum, Orientalium fuit Saxonum, quorum Sigebertus rex à Milero Episcopo Londinensi sanctum baptismum suscepit.

Quintum, Merciorum, hoc est, Mediterraneorum, regnum fuit, quorum Pendas Rex primus Christi nomen professus est, cuius exemplo, Metrej paulo post communi consensu, Christianis sacris initiati sunt.

Sextum, Septentrionalium fuit Saxonum, quorum Edduinus rex primus, sub Honorio I. Pontifice Romano ad Christum, & ipsius fidem conuersus, S. Petro Apostolorum Principi templa edificauit anno sal. humanæ DCXXVII.

Septimum fuit regnum Occiduorum Saxonum, quorum Inas rex primus Christianis regnum suum Romano Pontifici vestigale reddidit circa annum salutis DCCXL. Deniq; prævalentibus Occidentalium Anglorum regibus Britannia fere tota in vnum regnum Angliæ cessit sub Egberto rege circa annum Domini octingentesimum primum, qui fuit annus quadragesimus quinquagesimus, ab aduentu Anglorum in Britanniam.

Ex his perspicitur, Anglorum regnum quod nunc est, cepisse post annum Domini sexcentimum: at vero Britannorum regnum, quod est ab Anglosaxonibus euersum,

Asor. Insl. Moral. Pars 2.

durauit à Bruti, siue Britonis aduentu in eam insulam, vique ad C. Iul. Cæsarem, per annos scilicet mille & quadraginta: & post C. Iulium idem regnum Britannorum permansit vsque ad aduentum Anglorum per annos quatuor & quingentos. Ex quibus Britannorum regibus primus Christi cultor, fuit, ut dixi, Lucius, & prima prouincia, quæ publico regio edicto Christi fidem, & baptismum suscepit, fuit Britannia. Vnde merito Tertullianus libro *aduersus Iudeos* ait, Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subdita esse: & Origenes, in *Exe. chielom*, homil. 4. *Quando, inquit, terra Britannia ante aduentum Christi, in vnum Dei religionem consensit.*

Porro, de Scotiæ Regno, quod hæctenus per multos annos durauit, & perlit in Britannia parte, quæ ab Anglia distincta, nunc Scotia dicitur: Recentiores scriptores Hector Bærius in *historia, de rebus Scotorum, libro sexto*, & Ioannes Lestus Episcopus Rossensis libro 3. scribunt, Donaldum, huius nominis I. qui fuit 27. Rex Scotiæ, cum multa de Christianorum pietate, & miraculis audisset, à Victore I. Romano Pontifice, per litteras & nuncios suppliciter petiisse, ut viros doctrina, & religione insignes in Scotiam ad se mitteret, & libros suos Christi nomen profitentes, litterarum sacrarum institutis informarent, & salutari lauacro mundarent: quod quidem pius ille Rex facile impetrauit, cuius exemplo exercitati populi, & Nobiles, Christi fidem, & Religionem amplexati sunt. Fuit, inquit illi Auctores memorati, hic annus post Christum natum C. CIII. & ab Scotorum regno instituto DXXXIII. ita ut à primo Scotorum Rege vsque ad Mariam reginam Scotiæ, reges fuerint numero centum, & sex, per bis mille circiter annos: & Donaldus Rex, qui primus Christo adhaesit, fuerit Rex Scotiæ, ordine vigesimus septimus, & ab eo vsque ad Matiam reginam præfatam, reges fuerint octoginta, & omnes Christiani. Veteres historici nihil expresse tradiderunt de Scotiæ regno ad Christi fidem conuerso sub Victore I. Romano Pontifice, sed Beda libro primo, *de Histor. Anglia capis. 4.* & Damastus in *Pontificali in vita S. Eleutherij* tradiderunt. Lucium Britannia regem ab Eleuthero Maximo Pontifice petiisse viros, qui ipsam, & suos sacris Christianis imbuerent: & ita per viros ad eum missos Christi fidem, & Religionem suscepisse, & Britannos eam semper conseruasse. Sed cum Britannia nomine tota insula, quæ Angliam, & Scotiam continet, significetur, verisimile est etiam tunc Scotos Christianis sacris initiatos fuisse, & eorum regem Donaldum à Victore, qui Eleuthero Pontifici proxime successit, vel ab ipso Eleuthero petiisse, ut sibi mitterentur, qui se, ac suos ciues atq; populos ad Christi legem, & Sacramenta conuerterent. Et hæc quidem de Antiquitate regum Christianorum.

Octauo quaeritur, An Romanus Pontifex possit Regibus regna abrogare, & alijs dare iustis in causis? Magna fuit semper inter Imperatores Regesq; ex vna parte, & ex altera parte inter Romanos Pontifices controuersia, An certis in causis sit ius & potestas Summo Pontifici priuandi Reges regno suo. Reges enim aliqui cum Summis Pontificibus, de hac questione sæpius contenderunt, dicentes, regnum se à Deo, non à Romano Pontifice habere, & in his quæ ciuilia sunt & temporalia, Regum supremam esse & absolutam potestatem. Deinde, duas esse à Deo constitutas potestates Regiam, & Pontificiam. *c. Duo sunt, c. Si Imperator, c. Cum ad verum, dist. 96. Et c. Quoniam, dist. 10. de iur. iur. c. Solita, de maiestate & obedientia, & vtramque potestatem esse supremam, Pontificiam quidem in his quæ sacra, Ecclesiastica, & spiritualia sunt: & in his solum Reges, & principes Summis Pontificibus subesse tanquam filios patribus, & tanquam oues pastoribus. Regiam vero potestatem summam esse in his, quæ profana, ciuilia, & temporalia sunt, & in his Reges Pontificibus minime subijci, si quid & ipsi met Rom. Pontifices ingenue fatentur, se ciuilia, & temporalia Regibus, relinquere: in c. Licet ex suscepto c. ex tenore, de Foro cõpetenti, Et c. Per venerabile, qui sibi sint legiti.*

Cæterum Gregorius VII. libro octavo Registri epistol. 21. multis rationibus, & testimonijs probat, summum Pontificem ius, & potestatem habere Regibus abrogandi regna. Conquerebantur multi, quod ipse Henricum eius nominis 4. Germanorum Regem execrationibus deuouisset, regniq; administratione priuasset: Quibus ipse respondit, se id facere potuisse: quod & Romanorum Pontificum exemplis ostendit. Idem probat Innocentius Quartus in Concilio Lugdunensi, *ut habetur in cap. Ad Apostolica, de sentent. & re iudicã. in sexto*, ubi Pontifex ostendit se posse Imperatorem Imperio priuare iustis, & legitimis causis. Et Clemens V. in Concilio Viennensi, *ut legitur in Clement. Pastoralis, de sentent. & re iudicata. Nos, inquit, tam ex superioritate, quam ad Imperium, non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua, vacante imperio Imperatori succedimus: & nihilominus, ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum, & Dominus dominantium nobis, licet immeritis, in persona Beati Petri concessit, & c.* Et idem Clemens V. in Concilio Viennensi, *ut refertur in Clement. Romani, de Iureiurand.* demonstrat, Romanos Principes Romanis Pontificibus iurandum præstare, quo ipsis obligantur. Innocentius quoque Tertius, *in cap. solita & de maioritate & obediens. constituit, Imperatores Pontificibus non præesse, sed subesse, & obedire debere.* Idem etiam Pontifex *in cap. Venerabilem, de electi. dicit*: imperium Romani Pontificis auctoritate à Græcis ad Germanos fuisse translatum: ergo si Imperatores Romanorum Pontificum auctoritate possunt Imperio priuari, possunt quoque Reges eadem Pontificum auctoritate regnis exui. & Bonifacius Octauus, in constitutione, *qua incipit: Vnam sanctam, inter Excommunicatos communes de maioritate, & obediens. expressim tradidit, posse Regibus Romanos Pontifices regna adimere.* Gregorius Septimus, Boleslaum regem Poloniae eius nominis Secundum, eo quod Stanislauum Cracouiensem Episcopum occidisset, anathemate percussit, & totam Poloniam sacris interdixit, & regnum ipsi Boleslao solemniter abrogauit, ac ne Episcopi in posterum Regem suo iniussu inuincerent & coronarent, *Cromer. lib. quarto, de reb. gestis Polonorum.*

Gregorius Secundus Leonem Tertium, Imperatorem Constantinopolitanum, eo quod sacras imagines diruisset, à communi priorum cætu, solemniter excommunicauit: Romanos, & Italos absoluti à sacramento, quo erant ipsi Imperatori obligati. *Sigonius libro tertio, de Regno Italia, in anno 716.*

Zacharias, *ut habetur in c. Alius. 15. quæst. sexta* Childericum Francorum Regem, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, Regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem, in eius locum substituit, on. n. q. Francigenas à iuramento fidelitatis absoluti.

Innocentius Tertius Ioannem Angliæ Regem, quod in sacra, profanaque nullius ordinis, aut ætatis ratione habita defecisset, misso Pandulpho iuriconsulto clarissimo sub graui denunciatione, totius Regni administratione submouit. Quare Rex ipse vehementer contritus, ne ab Episcopis, Principibus, Popularibusq; destitueretur, facti sui poenitens, ad saniorum mentem redijt, & Pontificem agnouit, ac iureiurando promisit se Pontifici pariturum: posterosque Reges obligauit, ut deinceps Pontificem Romanum agnoscerent. *Polydor. lib. 15. Historia Anglica: quamquam subiungit, Ioannem regem quidem se id factum perpetuo iurasse, non tamen ad id faciendum posteros quoq; reges obligasse.*

Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum Francorum Regem ditis deuouit, & regno priuatum declarauit, ipsumq; regnum Alberto Imperatori adiudicauit. *Emil. in vita Philippi Pulchri.*

Iulius II. Ioanni Regi Vasconum, hoc est, Nauarræ, quæ est in Hispania, regnum abstulit, ac Ferdinando Castelle, & Aragoniæ Regi concessit, eo quod Ludouici Francorum Regis, eo nomine, XII. partes tueretur, quem ipse

Pontifex sacris interdixerat: & ex eo tempore in eo regno Nauarræ Hispaniarum Reges dominantur.

Pius quoque V. Elisabetham Angliæ Reginam, ut hæreticam, regno per sententiam priuauit, & Philippo Hispaniarum Regi eius nominis II. ius liberum concessit, quo posset ei regnum ereptum sibi vindicare.

Denique Gregorius Magnus ad finem Priuilegij, quod concessit Xenodochio in Augustudunensi vrbe, à Syngrio & Brunichilda constructo, *ut habetur in li. 11. Registri in di. 6. epistol. 11. sic ait: Si quis vtro regum, sacerdotum, iudicum, ac personarum secularium hanc consuetudinem nostram paginam agnoscent, contra eum venire tentauerit, potestatis, honorisq; sui dignitate carere, reuocq; se diuino iudicio existere depertrata iniquitate cognoscat.*

Verum contra hæc, quæ diximus, multa obijciuntur: In primis, qui Regiam potestatem tuerentur, aiunt aduersarij in his, quæ temporalia sunt, Reges supremum ius, & potestatem habere. Respondeo, hoc nihil obflare, quo minus fateamur penes Romanum Pontificem, ac Vicarium Christi Domini, cui omnes Principes, ac Reges subiecti sunt, iure & habitu esse potestatem Regibus abrogandi regnum; vsu vero, & actu certis in causis, de quibus statim postea, Reges quidem non habent alium profanum, & ciuilem Principem, in cuius potestate sint, habent tamen Christum Dominum, & summum eius Vicarium, quibus sunt ipso iure diuino subiecti.

Deinde: Summus Pontifex ius habet excommunicandi Reges, & ratione peccati eos corripiendi, non tamen regno priuandi; quoniam excommunicatio pena est Ecclesiastica: & ideo non solum summi Pontifices, sed etiam Episcopi possunt Reges anathemate percutere, & ita B. Ambrosius Theodosium Imperatorem à sacra Communionem submouit, & Innocentius I. Arcadium Imperatorem excommunicauit: *ut refertur Gregorius VII. lib. 8. Registri Epistol. 21. & refertur in c. Duo sunt, distincti. 96.* Sed abrogatio regni non est pena Ecclesiastica. Item Regnum Rex à Deo habet, non à Romano Pontifice. *c. Duo sunt, & c. Si Imperator, dist. 69. & capit. quoniam, dist. 10.* Respondeo: vtramq; potestatem, spirituale, & temporalem esse penes Romanum Pontificem, quia est summus Christi Vicarius, qui ei dixit in Petro: *Quidquid solueris super terram, erit ligatum, & solutum in celo*: quod cum sit vniuersale dictum, non est cur ad potestatem tantum spirituale restringatur. Dixit itidem Christus: *Pasce oues meas*, ubi generatum, *oues meas*, inquit, non has, aut illas: & generali quoq; verbo, *Pasce*, videlicet spirituali, & temporalis cibo, prout ad commune bonum Reipublicæ Christianæ pertinuerit. Neque enim dicimus Pontificem Romanum pro libidine posse regna dare cui voluerit, & auferre: sed iustis in causis, videlicet ob communem pacem, salutem, & vtilitatem Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ bonum: nam cuius est Christianum populum ad salutem æternam dirigere, eius est remedia adhibere, & cauere ne id bonum impediatur, ac vt offensiones Christianorum, & peccatorum pericula, & ipsa peccata præcendantur deuitenturque.

Quod vero obijciatur, Reges à Deo regnum habere: Verum est: habent quidem illi regnum, sed non proxime, verum electione, & suffragio populi, vel hæreditaria successione, legibus & maioribus comprobata, & hoc nihil impedit, quo minus Reges, quatenus Christiani, Romanis Pontificibus subijciantur.

Tertio obijciatur: Populo iniuncto non potest Rex auferri, aut dari. Respondeo: à Romano Pontifice Regem auferri, vel dari iustis in causis: & tunc Populus, tanquam superior, Romano Pontifici parere debet.

Sed quænam sunt causæ iustæ, & legitimæ regibus abrogandi regnum? Respondeo, eisdem causis, quibus potest Imperator imperio priuari, posse quoq; Regem suo regno spoliari. Superius autem causas exposui, ob quas Summus Pontifex potest Imperatori imperium adimere, & auferre.

Nono quaeritur, An populo, qui nulium alium praeter Regem superiorem habet, ius & potestas sit deiciendi Regem à regno? Ratio dubitandi est, quia populus supremam potestatem iam in Regem transtulit. Deinde non videtur regnum, quod successione haereditaria ad Regis posteros defertur, posse à populo auferri. De hac quaestione pauca quaedam dixit Sorus *lib. 5. de Inst. quaest. 1. articulo 3.* Respondeo: Si sermo sit de Regnis, quae sunt apud Ethnicos, posse Regnum totius populi concursu regibus abrogari, non quidem pro libidine, vel arbitrio populi, sed iustis in causis: videlicet ob crimina regis in perniciem communis reipublicae, cum ea sunt notoria, vel per euentiam facti, vel per propriam ipsius regis confessionem in iudicio, vel per sententiam à populo in iudicio latam: & Rex ius habet, vt prius audiat, & ius habet excipiendi ea, quibus iure possit seipsum tueri.

Quare si rex sit notorie crudelis, si Tyrannus, si reipublicae hostis, si bonorum hominum persecutor, si proditor patriae, vel regni, si denique communi populi saluti, paci, & bono aduersetur, si superiorem habeat, is debet communi populi saluti consulere, idoneo adhibito remedio: si non habeat superiorem, populi sententia potest regno priuari.

Quoniam etsi populus in Regem potestatem transtulerit suam, non tamen ita, vt se omni iure abdicauerit: neque enim voluit populus, vt dominaretur in regni perniciem, & interitum.

Nomine vero Populi intelliguntur Senatores, vel procuratores ciuitatum, & regni proceres, & Nobiles. Constat enim populus, vt minimum, ordine & statu Nobilium, & plebeiorum, siue popularium.

Dices: populus est Rege inferior, ergo nequit eum regno priuare. Respondeo, tunc populum Regi abrogare regnum, vel vt iudicem per sententiam, & condemnationem criminis reipublicae, vel iure naturali, vt vim vi repellat, vt se tueatur, & feruet.

Nec inde fit, vt regnum Democraticum sit; quoniam penes Regem quidem est summa potestas, sed non in populi perniciem & exitum, sed salutem & bonum. Quod si regnum est haereditarium, tunc deuoluitur ad propinquiores ex genere, & sanguine regio.

Quod si nullus propinquus extet, tunc Populi est per suffragia Nobilium, & Plebeiorum Regem create.

Si autem sermo sit de Christianorum Regibus, non videtur Populus idiuris & potestatis habere absolute, & simpliciter inconsulto, vel infcio Pontificis Romano: Tum quia aliter multa in populo incommoda, & damna sequerentur; tum quia tanquam summus Christi Domini Vicarius debet communi Reipublicae paci, & bono prospicere. Item quoniam habet in reges, & regnum summam potestatem, & ius. Vnde *cap. Alius, decima quinta quaestio, sexta.* Proceres, & Populus Francorum Childericum Regem ineptum regiae administrationi, & muneri, regno minime exuerunt propria auctoritate, nisi praemunito Romano Pontifice. Et *ex cap. Grandi, de supplenda negligentia Praelatorum in sexto.* auctoritate Summi Pontificis regi Portugalliae socordi & ignaui, & ad regni administrationem inepto datus est Adiutor idoneus, non ademptum regnum.

Si historias legeris, cognosces multos reges à suis populis regno priuatos, siue per fas, siue contra fas, & ius fuisse.

In vno Scotiae regno multos Reges legimus Nobilium, & Populi communi consensu, è Regno pulsos.

Nothatus rex, Nobilibus consensu, & consentientibus, ob nimiam in suos seueritatem, à quodam adolescente occisus est: Sed hic Paganus rex erat.

Dardanus Ethnicus initio regni bonus princeps, postea flagitiosus, ob stupra, libidines, & caedes hominum, communi omnium consensu regno, & vita priuatus est.

Lugracum vigesimum secundum Paganum regem, eo quod crudelis, auarus, & libidinosus esset, regni Proceres

indicto publico conuentu, regali auctoritate, & bonis omnibus spoliarunt. In Mogellum etiam Ethnicum XXIII. regem, ob stupra, & caedaeque libidines, & inexplicabilem auaritiam, Nobiles conspirarunt, & cum occiderunt.

Conanus XXIV. rex, Paganus, flagitiosus, luxuriaeque praeter modum deditus, à Nobilibus in carcere missus est: & Prorege substituto, in carcere tandem miserè perijt.

Methodius eius nominis ILXXXVII. rex nihil nisi de pecunia cumulanda cogitabat: quare regni Principes eum, tanquam regio muneri ineptum, custodiae tradidit, regno priuatum & vita, hic Christianus fuit.

Euenus, eius nominis III. & XVIII. Scotorum rex, flagitiosissimus, luxu, & auaritia inexplebili ardens, Nobilium consensu, regno exurus est, in carcere coniectus, & ibi necatus à iuueni, hic Paganus erat.

Athirico XXIX. Scotiae Rex, Christianus, initio quidem bonus princeps fuit, sed postea flagitiosus; Nobilium coniuratione captus, seipsum postea interemit.

Romanus XXVI. Rex Scotorum, quod in populis crudelis esset, Nobilium coniuratione oppressus interijt: fuit hic Christianus. *Hac omnia Lessius Episcopus Rossensis in historia, de Reb. & merib. Scotorum.*

Petrus cognomento Crudelis, Rex Legionensis, & Castellae, quod in suos desauieret, communi procerum, & popularium consensu è regno pulsus est, & in eius loco successit Henricus frater, quamuis nothus. *Marian. lib. 27. 8. de rebus Hispania.*

Decimo quaeritur, An priuato homini liceat occidere gladio, veneno, prodicione, insidijs, alioque quouis modo, Regem tyrannice dominantem? Ratio dubitandi est ex vna parte quia Sanctus Thomas in *secunda distinctione quadragesima, quaestione secunda, articulo secundo ad vltimum.* Et libro secundo, de Regimine Principum capitulo sexto: ait: quando non est recursus ad superiorem, laudabiliter occidatur Tyrannus, cui per violentiam se fecit Dominum. Et probat illud ex scriptura: nam *Iud. 3.* commendatur Aioth, qui interfecit Aglon regem Moabitum; qui per tyrannidem in Israele dominabatur. Laudatur quoque in profanis historijs Brutus, eo quod liberauerit Romanum populum à tyrannide Tarquiniorum. Commendantur etiam à Cicerone in officijs interfectores Iulij Caesaris, qui per tyrannidem Rempublicam Romanam sibi subiecerat. Ex altera parte est Synodus Constantiensis *sessione decima quinta.* In qua damnatur articulus quidam Ioannis Hus, dicentis: *Quilibet tyrannus licite potest à quocunque subito interfici.* De hac quaestione Sorus libro quinto de *Iustitia quaestione prima, articulo tertio.* & Caietanus *secunda secunda quaestione sexagesima quarta, articulo tertio.* Salomon, & Petrus Aragonius & Ioannes. Et ibidem alij iuniores Sancti Thomae interpretes. Sic etiam Couarruias in quarto libro *De rebus, de matrimon. parte secunda, capitulo tertio, §. quarto, numero sexto,* & citat Fab. in *Angel. institut. de iure naturali gentium & civil. §. ius gentium.* Omnes hi Auctores respondent, distinguendo: Dupliciter quis est Tyrannus, aut iure ipso, & titulo, qualis est is, qui per vim, vel bellum iniquum regnum inuasit & occupauit: aut gubernatione, & administratione, vt est is qui iure quidem Rex, vel Princeps est; sed tyrannice regnat, & dominiatur, hoc est, sui priuati commodi, non Reipublicae causa. Item Tyrannus aut superiorem habet, ad quem pateat aditus, iure interfici non potest, sed ad eundem est ad superiorem; vt is idoneo adhibito remedio, communi Reipublicae saluti prospiciat: Si vero superiorem non habeat, tunc, inquit, si est tyrannus iure, & titulo, licite potest à quouis priuato interimi. Id probant, quia quamdiu est tyrannus, Reipublicae vim infert, & cum ea bellum gerit iniustum. Sed quilibet priuatus homo est Reipublicae pars: ergo sicut Reipublica ius habet tuendi seipsam vim vi repellendo, sic etiam quilibet ciues: &

de eo Tyranno loquitur, inquit, Sanctus Thomas, cum dicit laudabiliter occidi Tyrannum: & commendatur Aioth, Brutus, & interfectores Iulij Cæsaris. Quando vero aliquis est tyrannus solum administratione, & gubernatione regni, tunc is nequit licite à privato homine occidi, quia iure, & legitimo iure regnum possidet. Ergo quamvis tyrannice gubernet, interfici nequit, donec iudiciali totius regni, aut Reipublicæ sententia iudicetur, & condemnetur prius auditus, & data ei facultate, qua excipiat aliquid, ad sese defendendum: est enim contra ius naturale, damnare quempiam non auditum.

Hæc sententia quamvis tot auctorum testimonio comprobetur, mihi tamen dubia est. Primo, quia in Concilio Constantiensi damnatur articulus hic: *Quilibet Tyrannus licite potest à quocumque subdito interfici*: Vbi Synodus generaliter de tyranno loquitur. Ita Sanctus Augustinus lib. 1. de Civitate Dei ait: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur: & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam usurpare non timuit*. Hæc ille. Insuper Aioth non occidit Aeglon Regem, ut prius civis, sed auctoritate publica, ut electus à Deo, & missus à populo ad illum interimendum. Præterea sanctus Thomas expresse non dixit tyrannum, qui se fecit Dominum, laudabiliter occidi. Huc accedit, quod maleficus, nisi prius audiatur, & iudicetur, intermisi iure non potest. Præterea evidentia patrati sceleris quamvis accusationem, & probationem non postulet, requirit tamen sententiam, ut ait Glossa in capitulo. *Evidentia, de Accusat*. Insuper quamvis huiusmodi tyrannus ius, & titulum non habeat in regno & principatu, factum tamen habet possessionem, è qua deici non potest, nisi prius audiatur, & iudicetur. *Leges Castrenses lib. adversus hæreses, in verbo Tyrannus*.

Vndecimo quaeritur, An valeant sententia, edicta, & mandata Regis tyrannice dominantis? Distingendum est: Si tyrannus sit, sola administratione, & gubernatione valent, quia ius & titulum habet, & in hoc communis est sententia. Si vero sit tyrannus iure, & titulo, quia per vim, vel per bellum iniquum regnum inuasit, & occupavit, non valent.

Communiter sentiunt omnes non valere, eo quod sententia à Iudice non competenti lata, vim & locum non habet, & mandata eius, qui legitimus superior non est, non obligant. Hoc vero intelligitur, non valere per se, nam ex accidenti, & aliunde valent, eo quod Respublica in hoc suum consensum præstat expresse, vel tacite.

Duodecimo quaeritur, An subditi Regis tyrannice dominantis, tuta conscientia petere ab eo possint, ut ius ipsi dicat? Haec quaestionem tractat Caietanus in *summa in verbo Tyrannus*, ubi distinguit; Si tyrannus fuerit sola administratione, licite ab eo petere queunt, ut eis ius dicat, quia cum ius & titulum in regno habeat, competens est iudex, & legitimus superior. Si autem fuerit iure, & titulo tyrannus, tunc ratio est dubitandi, quia ex una parte petunt ab eo id, quod sine peccato ipse præstare non potest, quoniam non est iudex competens, nec legitimus superior. Ex altera parte vero licite videntur subditi ab eo petere, quia alium superiorem adire non possunt, nec videntur in peccato illius consentire, & ius suum petunt.

Dicendum est licite eos ab eo id petere, quia quamvis ius, & titulum non habeat Respublica, tamen tacite consentit in hoc, ut civibus ipsi Tyranno facto non iure subditis, ius dicat, ac si esset competens iudex, & legitimus superior.

Decimo tertio quaeritur, An Regi, vel Principi Tyranno civis parere secundum conscientiam debeant? Respondet in capitulo Iulianus, vndecima quaestione tertia, ex Ambrosio sic habet: *Iulianus Imperator, quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum dicebat: producite aciem pro defensione Reipublica, obediabant: cum*

autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc cognoscebant imperium tali, non terra. Et Augustinus in capitulo, Imperatores. vndecima quaestione tertia, ait: Iulianus extitit fidelis Imperator: nonne extitit Apostata iniquus, & idololatra? Milites Christiani servierunt infideli Imperatori: ubi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in caelis erat. Quando volebat ut Idola colerent, & eis thura adolerent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat: Producite aciem, ut contra illam gentem, statim obtemperabant; & distinguebant Dominum æternum à Domino temporali. Sic illi Patres. Quare dicendum est: Si mandata Principis, alioqui tyranni, sine æqua, & iusta, parandum est. Unde Apostolus Petrus, etiam dytcolis superioribus obtemperandum esse monet. Si vero fuerint mandata iniqua, hoc est, contra ius diuinum; vel naturale, vel Gentium, vel Ecclesiæ, obediendum est Deo, non homini.

Decimo quarto quaeritur, An Regi focidit, & ignavo possit licite abrogari regnum ob solam eius negligentiam & desidiam? De hac quaestione agit in Glossa e. *Grandi, de supplenda neglig. Prælatorum, in sexto*, ubi videtur sentire, non esse illi regnum abrogandum. Et certe ex illo e. *Grandi*, id colligi videtur: nam Regi Portugallie alioqui ignavo, & desidit, Papa non dixit, adimendum esse regnum, sed idoneum adiutorem dandum. Et alia parte Venceslao Imperatori Imperium est ablatum ob ignaviam solam, & locordiam. Item Zacharias Pontifex, ut habetur cap. *Alius, decima quinta quaestione sexta*, consulus à Francis: Vter potius regnare deberet, ignavus, & negligens Princeps, An vero strenuus, industrius, & diligens? Respondit Papa, strenuum & diligentem: ac ita Franci Childerico è regno deiecto ob ignaviam, hoc est, quia erat ad gubernandum inutilis & ineptus, Pipinum Regem creaverunt. Quare dicendum est. Si communi Reipublice salutis commode consulitur idoneo adiutore dato Principi negligenti, & ignavo, Papa iure potest dare adiutorem, ut in e. *Grandi supra citato*. Si vero aliter Reipublice pax, & tranquillitas, & salus conservari commode nequit, nisi Princeps ob ignaviam regno spoliatur, tunc licite è regno deiecitur, ne oriantur in Populo scandala, seditiones, & mala deteriora.

CAP. V.

Quæ virtutes Reges deceant.

IN primis Regem statuo maxime decere pietatem, & Religionem in Deum: vnde primo Paralipomenon vigesimo octavo, filium suum Salomonem iam moriturus his verbis DAVID alloquitur: *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui. & servus ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia corda scrutatur DOMINUS, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quaesierit eum, invenies: Si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* Teste Aristotele libro septimo Politic. capitulo octavo, [In Reipublicæ administratione prima omnium est curatio rerum diuinarum] Sic ille. Nam pietas & religio in DEVM, cultusque diuinus cunctis procurationibus & muneribus, publicis & privatis debet iure diuino & naturali anteferri. De THEODOSIO Imperatore legitur apud Theodoretum libro quinto capitulo trigesimo sexto, cum aulam suam veluti scholam, in qua ad pietatem se, suosque exercuit, instituisse, temporaque distribuisse lectionum, psalmodiarum, ieiuniorum, immo & vigiliarum. CHRISTVS Dominus dixit: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius & cætera.* Firmissimum est Reipublicæ fundamentum, & Religio, quæ DEO debitum cultum, & honorem defert: qua neglecta, nihil potest esse in Republica præclarum, stabile, & firmum. Vnde Augustinus in Opusculo, de duodecim gradibus

bus